DE ZOILO HOMEROMASTIGE
QUI VOCATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA ALEXANDRINA ERLANGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GOTTHOLD SPINDLER

SAXO - BORUSSUS.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).
MDCCCLXXXIX.

Homeri carmina cum a plurimis efferantur summis laudibus, non omni aetate aeque erant omnibus admirationi. Jam vivo poetae Sagaris quidam adversarius fuisse narratur[1]. Multo autem plures exstiterunt adversarii inde ex eo tempore, quo homines puriores de deis opiniones concipere coeperunt. Itaque invenimus primos, qui deos plane vacare vitiis arbitrabantur, philosophos velut Pythagoram Samium[2], Heraclitum Ephesium[3] vehementer offensos esse eis, quae de deis protulerat Homerus. Maxime autem in eo elaborasse videtur Xenophanes Colophonius[4], ut eas, quas de deis pronuntiaverat poeta, falsas opiniones refutaret.

Qua in re adeo erat occupatus, ut a Timone apud Sext. Empir. Pyrrh. hypotyp. I, 244, p. 58 nominetur *ὑπάτυφος Ὁμηραπάτης ἐπικόπτης*, id est nomen eius, qui quae Homerus narravit falsa vituperavit.

Quid? quod Plato ipse, qui quidem saepissime honorificentissimis Homerum commemorat verbis, non semel poetam acerbe castigat[5], quod deos et heroas saepius ipsis indigna agentes vel dicentes faciat. Jam vero sub idem tempus vel paulo post Platonem Zoilus quidam cum Homeri carminibus operam daret, tam multa invenit vituperanda tamque libere ea, quae repperit, pronuntiavit, ut a posteris ignominioso notaretur cognomine Homeromastigis. Quae cum ita sint, nonne videtur mirum, quod ab illis Homerum perstringi passi sunt ei, qui poetam valde admirabantur, ab hoc non item?

Cuius rei causas si quaerimus, propterea Homeri laudatores illorum vituperationes tulisse putamus, quod illos, ut Homerum vituperarent, commotos esse videbant pietate erga deos, quam ab Homero saepius violatam esse arbitrabantur, Zoilum non tam animi quadam elatione incensum multa, quae Homerus finxit, acriter notasse, sed ut ingenii sagacitatem et acumen ostenderet, omnia, quae primo oculorum obtutu absurda esse videbantur ludibrio perfudisse existimarunt. Qua re factum est, ut tam malam per totam antiquitatem vel usque ad nostra tempora assequeretur famam[6], ut Zoili vel Homeromastiges nominarentur omnes, qui magis cupiditate irridendi quam iustis commoti causis aliorum verba aut opera vituperabant. Sed haud scio an multi, qui ad tales homines castigandos Zoili nomen adhibebant, non satis sibi conscii fuisse videantur, quo iure Zoilum in contemptionem adducerent, cum qui fuerit ille quidque spectaverit summum omnium consensu poetam vituperans adhuc non satis appareat.

Quae ut exponere coner, eo magis adducor, quod adhuc nemo, quantum video, vitam Zoili singulari quaestione sibi tractandam proposuit.

Qui ex recentioribus viris doctis Zoilo operam quandam navarunt indicantur:

G. J. Vossius de histor. Graec. p. 130.
Fabricius bibl. Grae. III. p. 543.
Reinesius var. lect. p. 329.
Parnell the life of Zoilus biogr. univers. Tom. 52.
Ballu hist. crit. I. p. 253.
Hardouin Memoires des inscriptions.
Boileau kritische Reflex. über Longinus.
F. A. Wolf Prolegg. ad Hom. p. 192.
Lehrs Jahns Jahrb. XII. 130.
Clinton fasti Hellenici.
Westermann Gesch. der griech. Beredsamkeit.
Spengel *τεχνῶν συναγωγή* p. 180.

Blass attische Beredsamkeit II. 344 ff.
Usener Quaest. Anaxim. Göttingen 1856.
Jonsius de scriptoribus historiae Philos. p. 42.
Müller scriptores Alexandr. p. 53.
Müller hist. Graec. rel. 2, 85.
Schrader Porphyr. quaest Hom.
Wulffert. Zur Würdigung des Zoilus. Kreuzn. 1882.

Veteres quomodo de eo iudicaverint.

Praeclari homines cum ab aequalibus aut laudari aut vituperari soleant, Zoili, quod sciam, a nullo aequalium, quorum quidem scripta ad aetatem nostram pervenerint, facta est mentio. Quamquam eos, qui aliquanto post in Homeri carminibus recensendis Alexandreae praecipue erant occupati, facere non potuisse, quin, quo iure ille vituperasset Homerum, examinarent atque saepe acriterque in eum inveherentur, vix quisquam inveniatur qui neget.

Atque adeo scimus vituperationes eius illis iam temporibus esse refutatas. Legimus enim in vita Arati 3, p. 57 haec: *ἀδελφοὺς δ'ἔσχε (Ἄρατος) Μύριν καὶ Καλώνδαν καὶ Ἀθηνόδωρον, ὅν φησιν Εὐφράνωρ ἀντιγράψαι πρὸς τὰς τοῦ Ζωΐλου κατηγορίας* et vita 4 p. 60: *ἀδελφοὺς δ'εἶχε Μύριν καὶ Κολώνδαν καὶ Ἀθηνόδωρον, ὅν πρῶτον ἀντειπεῖν λέγεται Ζωΐλῳ τῷ κατὰ τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως γράψαντα.* Interea ira erga eum aucta fabulaeque multae de eo esse fictae videntur. Nam auctor libri, qui inscribitur *ἀλληγορίαι Ὁμηρικαὶ*, sive is Heraclides *ὁ λέμβος*, sive Heraclitus quidam fuit (cfr. Christ. Littg. § 378), appellat eum *ἀνδράποδον Θρᾳκικόν* atque Vitruvius, qui fuit Augusti aequalis, in libro de architectura praef. 7 narrationem nimis fabulosam de eo profert[7]. Quae cum legeris, miraberis fortasse, quod aequalis eius Dionysius Halicarnasseus, ubi de Zoili dicendi facultate verba facit, cum non modo

non vituperat, sed etiam summis laudibus effert et nisi veritatis amore commotum alios non vellicasse affirmat [8]. Non aliter Strabo Zoilum cum ignorantiae coarguat, quippe qui in laudatione Tenedorum Alpheum ex Tenedorum insula esse ortum dixerit, simpliciter rhetorem appellat [9].

Neque ita acriter de eo iudicat Plutarchus, cum eum ipse quoque *λύσεων Ὁμηρικῶν* more ignorationis convincat atque etiam in vita Demosthenis hunc summum oratorem, ut facultatem dicendi excoleret, cum aliorum tum Zoili Amphipolitani orationes edidicisse exponat [10].

Multo vero vehementius in eum invehitur Claudius Aelianus var. hist. IX, 10, qui, cum eum canem rhetoricum esse nominatum dicit, multa, ex quibus conicias eum malignum fuisse hominem, addit [11].

Non minus graviter eum perstringit Galenus, qui Method. Therap. I, 1, 51 cum Salmoneo comparans *τοῖς φιλολοιδόροις ζηλωτὴν* nominat et Homeri imaginem flagris eum cecidisse pronuntiat.

Quid? quod Cassius Longinus in libro *περὶ ὕψους* IX, 14 cum famosae illius ludificationis afferat exemplum dicens Zoilum *τοὺς ἐκ Κίρκης συοφορβουμένους* nominasse *χοιρίδια κλαίοντα* rhetorem ignominioso cognomine notare omittit?

Etiam in eis, quae aetatem tulerunt, scholiis Homericis, ubi, quae Zoilus in Homeri carminibus vituperatione digna putavit, proferuntur, ut cognomen illud Homeromastigis semel a Porphyrio eo, qui scholia vetera collegit, commemoratur, ita nullum usquam alibi obtrectationis vestigium deprehenditur.

Nec non scholiasta ad Platonis Hipparchum in uno ex scholiis, qua inprimis ideo studium nostrum commovetur, quod ibi integra Zoili verba referuntur, omni convicio abstinet.[12]

Suidas quidem, qui, quae apud scriptores prioris temporis invenerat dispersa, collegit, nihil novi addidit nisi

quod Zoilum non modo rebus grammaticis operam dedisse, sed etiam in historiis scribendis elaborasse annotat.[13] Idem alio loco Zoilum una cum Diogene Cynico Anaximenem Lampsacenum arte rhetorica instituisse memoriae prodidit.[14]

Sed omnium, qui in Homeri carminibus iudicandis erant occupati, longe acerrime Zoilum perstrinxit Eustathius, episcopus ille Thessaloniciensis, qui in commentariis suis doctrinae plenis *παρεκβολαὶ εἰς Ὅμηρον* vituperationibus Zoili in tantum abripitur furorem, ut eum putet dignum, cui colaphi incutiantur, quippe qui res a poeta fictas quasi veras castiget.[15]

Zoili praeterea mentio fit apud Quintilianum[16], de inst. orat. lib. IX, 1 14, unde illum de figuris orationis scripsisse apparet. Idem aliquanto post Phoebammon (*περὶ σχημάτων ῥητορ.*) narrat, qui ipse quoque solum Zoili nomen affert. Sed ex eis, qui, quos composuerit Zoilus libros, referunt, nemo librum de arte rhetorica ab eo conscriptum commemorat. Qua de causa inveniuntur, qui tale opus a Zoili studiis afuisse censeant.[17] Quibus ut assentiar a me impetrare non possum. Nam ut omittam ne apud eos quidem, qui paulo post illud, quo Zoilus scripsit, tempus fuerunt, omnes Zoili libros esse enumeratos (ut Aelianus Zoili librum contra Isocratem conscriptum omnesque excepto Strabone *Τενεδεών ἐγκώμιον* enumerare omittunt) tribus adducor argumentis, cur Zoilum librum de arte dicendi scripsisse verisimile esse putem. Ac primum quidem Zoili discipulus Anaximenes Lampsacenus librum de arte rhetorica confecit, cuius alterum magistrum, Diogenem illum Cynicum, cum studiis rhetoricis operam non dedisse satis constet, illum, quae de hac re scripsit, ab Zoilo didicisse nonne est verisimile? Iam vero et Quintilianus et Phoebammon eum, qui illam vocis schematis protulit definitionem, nominant tantummodo Zoilum, ut exempli gratia Platonis sine ullo cognomine mentionem facere veteres consuerunt. Quem igitur alium in mente habere potuerunt nisi Zoilum

illum Amphipolitanum, qui omnibus aetatis illius eruditis sine dubio erat notissimus? Ac ne illud quidem silentio praetereundum est uno loco artem rhetoricam a Zoilo esse conscriptam nominatim commemorari. Apud Pseudo-Plutarchum enim 844 C scriptum videmus, Demosthenem per Calliam Syracusanum artem Zoili sibi afferendam curasse, id quod a Suida (*Δημοσθένης*) repetitur. Quem locum quamquam in dubium vocari potest, quod non a Plutarcho ipso est conscriptus, tamen ab exeuntis antiquitatis temporibus repetendum esse vix est negandum. Quae cum ita sint, cui, quin Zoilus ille Quintilianeus sit idem atque Homericus, videri potest dubium?

Qua aetate Zoilus vixerit.

De Zoili aetate cum a nullo veterum scriptorum certi quicquam memoriae sit proditum, ad coniecturae probabilitatem nobis confugiendum est. Sed priusquam in hanc rem accuratius inquiramus, refutandus nobis esse videatur Vitruvius, qui in praefatione operis sui lib. VII narrat Ptolemaei Philadelphi aetate venisse Alexandream Zoilum illum cognomine Homeromastiga. Ex eis enim, quae ceteri de Zoilo tradiderunt, eum Isocratis sub tempora fuisse apparet. Quibus causis commoti exstiterunt velut Hardouin, Ballu, alii, qui duos fuisse Zoilos, unum Iscratis, alterum Ptolemaei aetate, ex quibus illum rhetorem, hunc Homeromastiga fuisse dicerent. In hanc sententiam video etiam abisse Fr. A. Wolfium, qui propterea illum Strabonis de Zoilo locum afferens verba *ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον* in marginem releganda esse affirmavit. Quod plane perversum est. Nam ut omittam mihi mirum videri illos homines doctos esse secutos sententiam Vitruvii, cuius narratio, ut est referta de Zoili morte fabulis, ex fontibus nimis reconditis esse hausta videtur, cur huius unius testimonio praesertim incerto commoti ceterorum,

qui praeterea Zoilum Homeromastiga esse unam eandemque personam atque rhetorem velut Aelianus, Strabo, Suidas, distinctis exposuerunt verbis, auctoritatem plane neglexerint equidem intellegere non possum.

Sed haec sententia ut vel Reinesio var. lect. pag. 429 iustis de causis esse reicienda videbatur, nunc quidem ab omnibus, qui in hanc rem inquisiverunt, explosa est. Jam vero Zoili aetatem ex eis, quae de nonnullorum aequalium vita memoriae sund prodita, constituere conemur.

Aelianus l. l. tradit Zoilum fuisse discipulum Polycratis. Is autem, quamquam aetate superior erat Isocrate, tamen poserius quam ille in litteras incubuit, quam ob rem ab illo ὀψιμαθής appellatus est. Isocrates autem paulo ante Panegyricum, quem circa Ol. XIC. (380) conscriptum esse constat, scripserat Busirim, quem librum contra Polycratis declamationem eodem nomine inscriptam composuerat. Ille vero liber cum scriberetur, Polycrates, ut in prooemio huius libelli scriptum videmus, iam Athenis relictis Cyprum in insulam se contulerat, id quod, Busirim si circa 385 a. Chr. n. esse divulgatum conicimus, annis 386 vel 87 factum esse putandum est. Quae cum ita sint, Zoilum ante hoc tempus Polycrati operam dedisse negari non potest. Atqui Zoilum non Athenis esse natum, sed Amphipoli relicta eo immigrasse memoria teneas velim. Veremur autem, ut Zoilum puerili aetate ad artem oratoriam ediscendam patria relicta Athenas in urbem longo spatio remotam se contulisse nobis quisquam persuadeat, immo aetate satis firma, ut illis litteris se daret, tantum suscepisse iter suspicari licet. Itaque cum per nonnullos annos Polycratis disciplinam esse sectatum verisimile sit, circa a. 390 vel antea Athenas venisse putandus est. Jam vero cum nobis dubium esse videatur, vicesimumne ante aetatis annum, ut studiis rhetoricis operam daret, patriam reliquerit, eum circa a. 410 esse natum optimo iure contendere nobis videmur.

Sed accedit altera causa, cur eum sub hoc tempus in lucem editum esse sit nobis persuasum. Nam ut ipse Polycratem rhetorem secutus est, ita in eius disciplinam se contulit Anaximenes Lampsacenus. Is autem, si Diodoro XV, 76,4 fidem adiungere licet, Ol. CIII. (a. 362) a. Chr. floruit; sed cum hominem sub quadragesimum aetatis annum florere omnes consentiant, Anaximenem sub Ol. XIVC natum esse probabile videtur. Adde, quod veterum magistrorum scholae tum demum a discipulis frequentabantur, cum ipsi maiorem gloriam consecuti erant, id puod nisi firmioribus vitae annis fieri non solebat, ita ut aliquanto discipulis suis natu maiores essent. Quapropter Zoilum quoque maiore annorum numero Anaximenem discipulum antecessisse non possumus non concedere. Quae cum ita sint, quominus eum post a. 410 esse natum putemus, hoc quoque impedimur. Hae igitur sunt causae, cur Zoilum non, ut vulgo fertur, sub a. 400 sed 410 in lucem esse editum nobis persuaserimus.

Ut igitur, quo anno Zoilus fuerit natus, pro certo dicere non possumus, ita, quo mortuus sit, tantummodo per coniecturam potest inveniri. Attamen cum scripsisse eum historiam inde ab inito rerum usque ad regis Philippi necem deductam Suidas sit auctor, Zoilum quoque nonnullis annis post occisum Philippum vita excessisse conicere licet ita, ut aetate admodum provectus sub octogesimum vitae annum mortem obisse putandus sit.

De Zoili patria et reliqua vitae condicione.

De patria Zoili duplex est veterum fama. Duobus enim locis in schol. minor. ad Iliad. V, 7 et in libro Eustathii, qui inscribitur παρεκβολαὶ εἰς Ἰλιάδα, ad eundem versum Zoilum Ephesi esse natum adnotatur. Quos si exceperis, omnes reliquos Amphipolin eius fuisse urbem patriam consentire invenies[17]. Quae cum ita essent, ex-

stiterunt, qui Ephesi esse natum puerilemque aetatem degisse Zoilum, reliquos vitae annos versatum esse Amphipoli Macedoniae urbe suspicarentur. Quorum sententia plane esse reicienda videatur. Quomodo enim fieri potuit, ut Zoilus per posterius vitae spatium Amphipoli degisse putaretur, cum veteres eum Athenis ab Polycrate litteris esse institutum ipsumque ibidem postea eandem artem dicendi Anaximemen Lampsacenum docuisse plane exposuissent? Ac ne id quidem neglegas velim, quod multorum exemplis satis elucet, omnes, qui illis temporibus studio optimarum artium se dabant arteque sua gloriam assequi studebant, Athenas ad omnium artium litterarumque nutricem migrasse. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin errore quodam satis crebro esse factum putemus, ut in scholiis Ephesus Zoili patria nominaretur. Eustathium enim, quem inde illum locum in commentarios suos recepisse verisimile est, hoc loco non curo. Immo Zoilus Amphipoli esse natus atque, ut bonarum artium studio se daret, iuvenili aetate Athenas se contulisse putandus est.

Athenas cum pervenisset, Polycratis eum doctrinam amplexum esse omnes fere veteres consentiunt. Uno loco in scholiis ad Iliad. X, 274 a Porphyrio compositis nominatur *τοῦ Ἰσοκρατικοῦ διδάσκαλος*, id est eius dicendi rationis, qua Isocrates utebatur, magister; qua de causa exstiterunt, qui dicerent, ad Isocratem se applicavisse Zoilum, cum nemo dicendi viam rationemque cuiusquam alios docere posset, nisi qui ipse antea ab alio didicisset. Sed quo tempore Isocratem sequi potuerit, nos quidem non videmus. Si verum est, quod supra nos demonstrasse putamus, Zoilum sub a. 410 esse natum atque sub vicesimum vitae annum Athenas ingressum esse, eo quidem tempore, quo in urbem illam immigravit, Isocratis disciplinam sectari non potuit. Nam Isocratem, priusquam Chium in insulam se conferret, Athenis docendi munere non dum functum esse memoriae proditum est. Tum demum, cum sub a. 492

a. Chr. illa in insula domicilium sibi constituerat, artem dicendi docere coepit. Quattuor annos Athenis afuisse dicitur. Ergo Zoilus eius doctrinam amplexus non est, quod tum, cum ipse Athenas pervenit, Isocrates aut nondum docere coeperat aut aberat. At Zoilus Isocrati, postquam Athenas reversus domum suam patefecit quasi ludum atque officinam dicendi, nonne se tradere potuit docendum? Hoc suspicari nullo modo licet. Nam, ut omittam nullum, quod sciam, exstare veterum eius modi exemplum, ut quis ab altero praesertim iudicio omnium maiore ad alterum minorem eiusdem artis magistrum transierit [18], non multo post illud tempus, quo Isocrates docere coeperat, Polycrates, ut supra commemoravimus, Athenis Cyprum in insulam abierat, Zoilus autem, ut Polycrates ipse Isocratis adversarius exstiterat, has inimicitias quasi hereditate acceptas et ipse aluit, et discipulo suo Anaximeni, qui postea item Isocratem impugnavit, quasi inculcavit. Ergo neque ante discessum Polycratis neque post eum, id est numquam, Zoilus Isocratis doctrina usus est.

Quamquam Zoilum ab Isocrate, cuius scripta quin a multis ut exempla elegantissimae orationis legi sint solitae, dubium esse non potest, sicut omnes illius aetatis rhetores artem dicendi didicisse facile sibi quisque persuadebit. Atque etiam de orationis artificiosae praeceptis vix ab Isocrate vehementer discrepasse putandus est, cum discipulus eius Anaximenes de arte rhetorica componeret libellum, qui adeo Isocratis pressit vestigia, ut diu illius esse putaretur.

Itaque erant, qui locum illum τοῦ Ἰσοκρατικοῦ διδάσκαλος falso traditum esse arbitratid sanare conarentur. Ut Lehrsius inimicitiarum, quas inter illos viros intercessisse constat, memor, pro illo, quod est διδάσκαλος, scribendum esse putavit ἀντιδιδάσκαλος, quae quidem coniectura, cum verbum ἀντιδιδάσκαλος nusquam alibi,

quantum videmus, inveniatur, nobis minime placet. Nobis quidem Porphyrius, qui dissensionum inter illos viros intercedentium erat ignarus, cum verba illa *τοῦ Ἰσοκρατικοῦ διδάσκαλοδ* scriberet, eius, quem illa aetate praeter omnes arte rhetorica floruisse scribit, nomen ipsius artis loco adhibuisse videtur, praesertim quod Isocrates, cum Helenam scriberet, eodem modo atque Zoilus aliique illius temporis rhetores in poetis tractandis ingenium exercebat.

Nonnulli velut Lehrsius, quocum Usener et Blassius consentiunt, Zoilum ad cynicorum sectam se applicavisse probare student. Respiciunt illi homines docti eam Aeliani narrationem (l. l.), ubi Zoilus *κύων ῥητορικός* appellatur, atque in eam sententiam illius interpretantur verba, ut Aelianum dicere voluisse confirment Zoilum rhetorem eundemque philosophum sectae cynicae addictum fuisse. Neque equidem negem huic sententiae favere, quod Zoilus primum eodem modo atque Antisthenes, illius philosophiae auctor, Homeri carminibus operam dedisse, deinde aeque atque ille contra Platonem et Isocratem scripsisse, postremo una cum Diogene, qui *κυνὸς* cognomen contraxit, Anaximenem Lampsacenum arte dicendi imbuisse dicitur. At contra ea, quae illi in medium proferunt, dici posse videantur haec: Antisthemen et Zoilum, ut eidem poetae operam navabant, ita non idem spectavisse in studiis suis facile potest demonstrari. Anthisthenes enim, quippe qui omnia ad vitae communis utilitatem referret, cum ex Homero sumpsit exempla, quibus quomodo posset vita bene institui doceret, multaque in quibus offendi poterat, allegorice, ut dicunt, explicavit, tum ut ex titulis librorum, qui traditi sunt, cognosci potest, singularibus de qualibet Homeri vel persona vel re institutis quaestionibus disserebat ita, ut non aeque atque Polycrates et Zoilus aliique id laudaret, quod Homerus vituperaverat, sed quid placeret sibi de illis personis vel rebus explanaret.

Atque etiamsi interdum ab Homero discrepabat, ut

ex schol. Homer. ad Odyss. I intellegi potest, tamen non idcirco in pari atque illi numero habendus est. Immo cynici, ut Wulffertus quoque l. l. ad refutandos eos, qui Zoilum in cynicorum numero habendum esse putabant, admiratores poetae divini fuisse dicuntur, velut Menander Diogenis illius discipulus apud Diog. La. VI, 84 Homeri admirator (*θαυμαστὴς Ὁμήρου*) appellatur. Zoilus contra, quaecunque in Homeri carminibus ludibrio digna esse arbitrabatur, ea mirifico saepe ingenii acumine collegisse videtur.

Porro non omnes, qui contra Platonem et Isocratem scripserunt, ob eam rem fuisse cynici sunt putandi. Polycrates quidem, cuius in disciplina Zoilum fuisse supra commemoravimus, certe non inter amicos Isocratis potest referri, quod de artis quam profitebatur principiis vehementer cum eo dissentiebat, attamen certe non erat cynicus: Dionysium illum Halicarnasseum, qui aliquanto post vituperat Platonem atque in ea re Zoili exemplum respicit, inter cynicos non esse referendum satis constat.

Neque magis sententia illorum, qui probare student Zoilum, quod una cum Diogene cynico Anaximenem instituisset, ipsum quoque in cynicorum numero esse habendum iustis fulcitur causis. Quod si ita esset, mirum sane videretur, cur Zoilus Polycrati operam dedisset, Antistheni ipse, illius disciplinae parenti, qui certe ei aetate antecessit, non item. Immo Anaximenem a Diogene philosophiae, a Zoilo artis dicendi praeceptis instructum esse facile concedes.

Sed ut illa omittamus, aliis rebus Zoilum non sectatum esse cynicos satis probari posse nobis videtur. Ac primum quidem ex omnibus, qui de Zoilo memoriae prodiderunt, cynicorum sectae eum ascribit unus Aelianus. Sed compares velim accuratius Aeliani illum locum cum eis, quae Dionysius Halicarnasseus, doctissimus rhetorum Graecorum existimator, de Zoilo tradidit. Hic Zoilum

non obtrectationis studio, sed solo veritatis amore adductum Platonem perstrinxisse exponit neque in eis, quae contra Homerum scripsit odiosi quidquam invenit, ille in eo libro, quo multa eum vera et falsa comportasse permixta nemo nescit, Zoili studia ut orta ex animi malignitate acerrime vituperat. Dionysius (ut locus laudatus de Demosthene docet) ea quae profert, rhetorum illorum studio invenisse putandus est. Aeliani librum ex singulis rebus undique comportatis esse compositum facile intellegas. Quae cum ita sint, num utri maiorem habeamus fidem, dubium esse postet? Quodsi quae Aelianus de Zoili malignitate profert, haud magnae sunt fidei, nonne idem in reliqua satis mira, quae illo referuntur loco, cadere tibi videtur? Nos quidem longe aliter de illo Aeliani loco iudicamus. Nobis enim inprimis ultima Aeliani respicientibus verba, ubi se omnibus, quod manu iniurias afferre non possit, saltem lingua maledicere velle Zoilum facit dicentem, omnia de Zoili corporis habitu malignitateque animi prolata videntur esse desumpta ex media Atticorum comoedia, qua perversa doctorum vel philosophorum studia perstringere solebant poetae. Quid igitur mirum, quod illi Zoilum vituperationibus Homeri insignem inter cynicos, qui philosophi praecipue premebantur malignitatis fama, referebant et quod, quali corporis cultu cynici fuisse dicuntur, tali ipse quoque fingebatur? Accedit quod Suidas, qui ubique cui sectae addicti fuerint singuli philosophi commemorat, eorum nominibus, quos cynicos fuisse scriptum vidit, verba *κυνικὸς φιλόσοφος* addidit (cfr. Crates, Metrocles, Oenomaus); cum solus Diogenes ille notissimus *κύων* nomine, quod quidem eius proprium erat, s. v. Anaximenes nominetur, contra Zoilus simpliciter philosophus appellatur. Uni autem praeter Diogenem hoc cognomen *κυνὸς* ibi tribuitur Aristogitoni, sed, cur datum sit, statim exponitur: *διὰ τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ* i. e. propter impudentiam. Quid igitur impedit, quominus etiam in

vetere illo fonte, quem Aeliani oculis subiectum fuisse existimo, verbum *κύων* in hanc partem acceptum esse arbitremur? Suidas igitur Zoilum nominat philosophum, qui quidem fuit philosophus ita, ut Alcidamas, qui ipse quoque in arte dicendi elaborabat, artem suam esse et philosophiam et dicendi artem profiteri solebat. Quae cum ita sint, non dubium est, quin Zoilum non cynicos sit sectatus, sed soli sophistarum sectae studuerit.

Iam vero de cognomine illo ignominioso Homeromastigis pauca dicamus. Sunt enim, qui non Zoilum ipsum, sed librum eius contra Homerum conscriptum Homeromastiga fuisse inscriptum existiment. Quam sententiam ut confirment, respiciunt libros Licinii, qui contra Ciceronem, et Carvilii, qui contra Vergilium scripsisse dicitur, quorum ille librum suum Ciceromastiga, hic Aeneidomastiga fertur nominasse. Huic sententiae equidem contra omnium veterum testimonia assentirer, si illi viri ante Zoilum vivum in libris suis illa inscripsissent nomina; sed quoniam post illum fuerunt, ad eos respicere non licet, praesertim cum Zoilus non unus hoc flagelli cognomine propter vituperationes suas a veteribus sit notatus. Scriptum enim videmus apud Diogenem Laertium II, 9, Aeschinem Milesium propter eandem vituperandi operam ab aequalibus *ῥητορομάστιγα* esse nominatum.

Quo tempore primum Zoilus hoc Homeromastigis nomine sit castigatus si quaeres, ea tantummodo aetate, qua homines de Homeri dignitate detrahere tamquam pro sacrilegio habebant, tale cognomen dari potuisse facile tibi persuadebis. Hoc non eo ipso fuisse tempore, quo Zoilus contra Homerum scripsit, facile est ad intellegendum. Nam tum, cum sophistarum studia vigebant, contra quemvis vel contra Homerum illum divinum scribere, dummodo ingenii sagacitatem et acumen ostendere posset, et unusquisque sibi licere putavit nec in his studiis aequales offenderunt. Sed aliquanto post cum Alexandreae existe-

rent, qui in Homeri carminibus recensendis et interpretandis divino illi poetae conferri posse neminem invenirent, omnes, qui de divinitate Homeri vel dubitabant, reprehendendi, qui illum vituperare tamque acriter vituperare quam Zoilus fecerat, audebant, nominibus notandi esse videbantur turpissimis. Illa igitur aetate quin Zoilus Homeromastigis cognomine in perpetuum sit inquinatus, dubium esse non potest.

Iam vero cum ab omnibus, qui in eruditorum se numero haberi volebant, studia Homerica non essent aliena, factum est, ut Zolii quoque persona Alexandrinorum in scriptis saepissime certe commemorata summam quamvis ignominiosam inter illorum aequales assequeretur famam. Hac autem ex fama facile intellegi possunt duae res. Ac primum quidem quid est mirum, si qui mediocriter litteris erant imbuti posteri eum sub Alexandrinorum tempora degisse vitam putabant? Ea enim sola ratione potest intellegi, quomodo Vitruvius, quem optimarum artium satis fuisse rudem inter omnes constat, Zoilum illis assignare potuerit temporibus. Ex hac autem Vitruvii ignorantia etiam omnia illa, quae de Zoilo et Ptolemaeo profert illo loco, orta esse verisimile est, quoniam, quod ille de Zoilo refert, idem multo ante hoc tempus inter Hieronem Syracusanum et Xenophanem Colophonium actum esse memoriae proditum est. Deinde ex illa de Zoilo fama, quae de morte eius narrantur, possunt intellegi. Illae enim, quas scriptas videmus de eius morte, fabulae oriri non potuissent, nisi Zoilus in omnium litteratorum hominum ore fuisset. Quamquam quae Vitruvius profert in medium ‚alii enim scripserunt a Philadelpho esse in crucem fixum, nonnulli Chii ei lapides esse coniectos, alii Smyrnae vivum in pyram esse coniectum‘, ut primo oculorum obtutu ficta esse haec omnia demonstrant, ita tamen fictionem plane ingeniosam exhibent. Nam eum, qui Homerum castigaverat, aut a Philadelpho, quem studiis Ho-

mericis favisse inprimis constat, in cruce figendum fuisse aut vel Smyrnae vel Chii, quibus potissimum in locis Homerum esse natum fama fert, ad necem esse compulsum, consentaneum esse videbatur. Neque vero solus Vitruvius, qui quin ex fonte nimis obscuro sua transscripserit dubium esse non potest, haec fabulosa profert, sed etiam Suidas de turpissima Zoili nece narrat, qui tamen aliam secutus famam eum de Scyronidis rupibus prope Olympiam (rectius Isthmum) sitis deiectum esse prodidit. Sed utcunque haec res se habet, haec nobis proxime a veritate abesse videntur et Homeromastigis nomen Alexandrinorum temporibus esse ortum et sola Vitruvii ignorantia factum esse, ut illi aetati Zoilus ascriberetur.

De Zoili scriptis.

Plurima eorum, quae conscripsit Zoilus, aetatem non tulerunt. Neque enim ex historiis, quas eum confecisse Suidas memoriae prodidit, quicquam reliquum est neque ex eis, quae contra Isocratem et Platonem scripsisse dicitur, ullae reliquiae ad nos pervenerunt, ita ut quasnam ob res illos vituperaverit summos viros prorsus nesciamus. Atque ars rhetorica, quae quin ab hoc Zoilo sit conscripta dubium esse non potest, plane periit. De Tenedorum autem laudatione nemo nisi Strabo l. l. perpauca exhibuit verba, atque ex Polyphemi laudatione tantummodo ea, quae in scholiis ad Platonis Hipparchum excerpta sunt, ad aetatem nostram pervenerunt. Quae vero a Suida commemoratur et a Lehrsio defenditur declamatio *ψόγος Ὁμήρου*, eam omnino non exstitisse plurimi nostrae aetatis homines docti consentiunt. Quae praeterea ad memoriam nostram manserunt, eae esse videntur reliquiae ex illis novem libris contra Homerum conscriptis, quibus propterea studium nostrum commovetur, quod, utrum Zoilus ea, quam adeptus est, ignominiosa

fama dignus sit necne, illis potissimum potest diiudicari. Traditi sunt ex iis plurima in scholiis Homericis, quorum maximam partem opera Porphyrii, qui ex Peripateticorum corpore solutiones illorum una cum quaestionibus Zoili in scholia transtulerit, ad tempora nostra venisse Schrader in libro suo demonstrat; pauca apud alios eosque diversos scriptores inveniuntur dispersa.

Quae in scholiis Homericis reperiuntur, sunt haec:

E 7: *Ζωίλος ὁ Ἐφέσιος κατηγορεῖ τοῦ τόπου τούτου καὶ μέμφεται τῷ ποιητῇ, ὅτι λίαν γελοίως πεποίηκεν ἐκ τῶν ὤμων τοῦ Διομήδους καιόμενον πῦρ. ἐκινδύνευσε γὰρ ἂν καταφλεχθῆναι ὁ ἥρως.*

E 20: *κατηγορεῖ καὶ τούτου τοῦ τόπου Ζωίλος ὅτι λίαν φησὶ γελοίως πεποίηκε ὁ ποιητὴς τὸν Ἰδαῖον ἀπολιπόντα τοὺς ἵππους καὶ τὸ ἅρμα φεύγειν. ἠδύνατο γὰρ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ἵπποις.*

A 129: *Ζωΐλος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης καὶ Χρύσιππος ὁ Στωϊκὸς σολοικίζειν οἴονται τὸν ποιητὴν ἀντὶ ἑνικοῦ πληθυντικῷ χρησάμενον ῥήματι. τὸ γὰρ δῶσι φασὶ πληθυντικόν.*

K 274: *Πορφυρίου. Ζωΐλος ὁ κληθεὶς Ὁμηρομάστιξ γένει μὲν ἦν Ἀμφιπολίτης, τοῦ δὲ Ἰσοκρατικοῦ διδάσκαλος, ὃς ἔγραψε τὰ καθ' Ὁμήρου γυμνασίας ἕνεκα. εἰωθότων καὶ τῶν ῥητόρων ἐν τοῖς ποιηταῖς γυμνάζεσθαι. οὗτος ἄλλα τε πολλὰ Ὁμήρου κατηγόρει καὶ τὰ περὶ τοῦ ἐρωδιοῦ, ὃν ἐν τῇ νυκτεγερσίᾳ ἔπεμψε τοῖς περὶ τὸν Ὀδυσσέα ἡ Ἀθηνᾶ, ὅν, φησίν, οὐκ εἶδον ὀφθαλμοῖς, ἀλλὰ κλάγξαντος ἤκουσαν. πῶς γάρ, φησι, χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθι Ὀδυσσεύς. εἰκὸς γὰρ ἦν ὑπολαβεῖν περιβοήτους ἔσεσθαι. φωνὴ γὰρ σημεῖόν ἐστι τοῖς λανθάνειν προαιρουμένοις ὑπεναντίον.*

Σ *Ζωΐλος δέ φησιν ἄτοπον νῦν εἰδέναι τὸν Ἀχιλλέα. προειδέναι γὰρ ἐχρῆν, ὅτι κοινοὶ οἱ πολεμικοὶ κίνδυνοι, τὸν δὲ θάνατον οὐκ ἐχρῆν δεινὸν ὑπολαμβάνειν τό τε οὕτως ὑπερπενθεῖν γυναικῶδες. οὕτως οὔτ' ἂν βάρβαρος τιθὴ*

ἐποίησεν. καίτοι Ἑκάβης ἐπὶ τῷ συρμῷ Ἕκτορος οὐδὲν τοιοῦτόν ἐστιν.

X 209: γελᾷ δὲ τὸν μῦθον ὁ Ζωΐλος. ποδαναὶ γὰρ αἱ μοῖραι ἐν ταῖς πλάστιγξι καθήμεναι ἢ ἑστηκυῖαι.

Ψ 100: Ζωΐλος δέ φησιν, ὅτι ἀλλ' ὁ κάπνος ἄνω φέρεται.

Od. ι. 60: ὥσπερ ἀπ' ἐπιτάγματος.

Sequuntur, quae apud alios scriptores videmus scripta:

Plut. συμποσ. προβλ. V, IV: ἀλλὰ μειρακιώδη τὴν φιλοτιμίαν αὐτῶν ἀπέφαινον δεδιότων ὁμολογεῖν ἀκρατότερον εἰρῆσθαι τὸ ζωρότερον ὡς ἐν ἀτόπῳ τινὶ τοῦ Ἀχιλλέως ἐσομένου, καθάπερ ὁ Ἀμφιπολίτης Ζωΐλος ὑπελάμβανεν κτλ.

Long. περὶ ὕψους. 9, 14: εἰς λῆρον ἐνίοτε ῥᾷστον κατὰ τὴν ἀπακμὴν τὰ μεγαλοφυῆ παρατρέπεται. οἷα τὰ περὶ τὸν ἀσκὸν καὶ τοὺς ἐν Κίρκης συοφορβουμένους, οὓς ὁ Ζωΐλος ἔφη χοιρίδια κλαίοντα καὶ τὸν ὑπὸ τῶν πελειάδων ὡς νεοσσὸν παρατρεφόμενον Δία κτλ.

Heraclides λύσ. Ὁμηρ. p. 309: οὐ γὰρ οὕτως ἄκριτον ἦν παρανάλωμα τῆς Ἀπόλλωνος ὀργῆς τὰ ἄλογα τῶν ζώων, οὐδ' ἂν ὁ θυμὸς ἀφρόνως ἡμιόνοις ἐνήκμαζε καὶ κυσίν. λέγω δὲ τὸν Ἀμφιπολίτην Ζωΐλον ἄνω καὶ κάτω τοιούτους τινὰς λήρους φληναφοῦντα κτλ.

Quae omnia si accuratius perspicimus, quattuor videntur nobis esse rationes, quas secutus Zoilus poetam esse castigandum putaverit. Ac primum quidem vituperat id, quod, ut supra commemoravimus, iam veteres illi philosophi velut Pythagoras, Heraclitus, Xenophanes, Plato reprehenderant: quod poeta peccasset, cum de deorum et heroum dignitate detraxisset, ut vitio vertit poetae, quod

a) Apollinem contra mulos sagittas dirigentem,

b) Achillem anus more morti Patrocli amici illacrimantem,

c) eundem, cum Patroclum minore aqua vinum diluere iubeat, vinolentiae deditum inducit.

Deinde Zoilo poeta videtur esse vituperandus, quod violaverit naturae veritatem, ut docent exempla haec:

a) fieri non potest, quin ignis caput humerosque Diomedis combusserit,

b) intellegi non potest, cur Idaeus a Diomede petitus se pedibus quam curru celerius posse effugere putaverit,

c) verisimile non est Ulixem gaudio esse perfusum tum, cum accipitris clangorem audivit,

d) fumum sub terram descendere nemini probari poterit.

Tum poetae crimini dat Zoilus, quod multa ridicule finxerit,

a) nam fieri non potest, ut Jupiter *Κῆρας* in parva libra posuerit,

b) mirum videtur, quod ex unaquaque duodecim Ulixis navium et velut secundum legem quandam in proelio contra Cicones commisso sex viri necati sunt,

c) ridiculum esse videatur, quod Ulixis socii a Circe dea in lacrimantes porcellos sunt mutati.

Postremum Zoilus in orationem poetae invehitur. Vituperat enim id, quod etiam Chrysippus ille Stoicus fecit, quod Homerus pluralem numerum *δῶσι* pro singulari adhibuerit.

Talia exstant fragmenta ex famoso illo libro, quo Zoilus composito in omnium eruditorum hominum incidit odium. Quo odio sane est dignus, si modo eo consilio, ut turpiter de dignitate poetae illius divini detraheret, carmina Homeri sibi castiganda proposuit.

Quae cum ita sint, quod consilium Zoilus sit secutus in vituperandis Homeri carminibus examinare accuratius a proposita ratione haud esse alienum videatur.

Ac primum quidem fuerunt, qui propterea Zoilum Homeromastigis cognomine esse notatum dicerent, quod summa cum acerbitate carmina poetae perlustrasset. At velim consideres mecum, quae scripsit: num in uno ex fragmentis quidquam acerbi inesse tibi persuadere potes? Immo si modo de acerbitate potest cogitari, ex ipsis certe fragmentis elici non potest, sed positam esse in eo concedes, quod omnino Zoilus divinum poetam idque dedita opera per totos novem libros castigavit. Sed quo ex fonte Zoili acerbitas illa emanasse putanda sit, equidem non video. Nam fieri potuisse, ut aemulatione incitatus Isocratem et Platonem, quippe qui essent eius aequales, vituperatione persequeretur facile potest intellegi, sed vereor, ut inveniatur causa, qua commotus Zoilus Homerum, utpote qui sex septemve ante eum degerit saeculis, adeo odisse potuerit, ut cum acerbitate carmina illius castigaret. Atque ut non habuit, quod in poetam ipsum acerbitate esset affectus, ita, quae ipse in carminibus vituperavit, non erant talia, ut eorum eum pigere posset. Nam quis sibi persuadeat eum, qui alia declamatione Polyphemum, quo nihil est scelestius, summis laudibus ornasse dicitur, adeo veritatem, iustitiam pietatemque vel in carminibus observatam voluisse, ut deorum heroumque dignitatem imminutam aegre ferret?

Multo igitur magis ei videntur esse audiendi, qui Zoilum non serio, sed, ut risus audientium vel legentium moveret, Homerum reprehendisse putent eumque ascribant eorum sophistarum numero, quos in Lyceo sedentes facete dictis audientium risus captasse Isocrates narrat (Panathen. § 16). At cum tota eius vituperatio sit posita in eo, quod poetarum iure res fingendi sublato ex veritatis legibus poetae verba se intelligere simulavit, fieri non potuit, ut,

quae in medium protulit, iocose dicta esse viderentur. Atqui quomodo risum movere potuisse putas, quod exempli gratia poeta pro singulari numero pluralem verbi adhibuisse perhibetur? Quapropter ne haec quidem sententia mihi placet. Mihi quidem contra saepenumero de hac re meditato haec videbantur proxime ad veritatem accedere, quae, quantum video, nemini adhuc placuerunt.

Si apud Suidam aliosque, quos Zoilus conscripserit libros, perlustraveris, plurima eum scripsisse contra summos antiquitatis homines, qui omnibus valde probabantur, facile tibi persuadebis. Nam et Platonem divinum illum philosophum et Isocratem summum illius temporis eloquentiae doctorem ab eo esse castigatos memoriae est proditum. At vero ne ab Homero quidem omnium poetarum facile principe stilum retinere potuit, atque quo hic illis erat maior, eo acriore fortasse stilo in illum invectus est. Quae cum ita sint, num tu putas, Zoilum, ut Porphyrius scholiasta vult, *τῆς γυμνασίας ἕνεκα*, ut ingenium exerceret, poetam perstrinxisse, aut ut Lehrsio nostro videtur, ut doctorum studia in illum collata irrideret, poetam ipsum reprehendisse? Equidem neque huic neque illi possum assentiri, immo sic existimo Zoilum eorum more, qui etiam nostra aetate ad gloriam consequendam doctissimos omnium iudicio viros erroris convincere student, sola gloriae cupiditate incitatum in summos antiquitatis viros stilum convertisse. Isocratem et Platonem quod perstrinxit, neminem doctorum valde offendit, nam cum alli et aequales et posteri idem in illos peccaverunt, tum illi non eodem amore eademque admiratione colebantur atque Homerus. Hunc vero, quo divinius nihil unquam inter mortales fuisse veteres existimabant, quod acerrime vituperare conatus est, id, cum prope accedere ad deorum contemptionem videretur, eum in summam optimi cuiusque invidiam vocavit, atque ut Herostratus ille deflagrato Dianae Ephesiae templo hominis maxime impii est consecutus famam, ita

Zoilus vituperatione Homeri summa omnium aetatum contemptione notatus est. Qua esset digna, si omnia illa, quae ut vituperenda in Homeri carminibus in medium protulit, ex animi acerbitate emanasse putandum esset, id quod in Zoilum non cadere supra demonstravimus.

Quae cum ita sint, nonne omnem repellamus humanitatem, si Zoili nomine abuti pergamus ad eos significandos homines, qui velut Thersites Homericus saepius cum Zoilo collatus animorum acerbitate incitati nulla re magis delectantur quam aliis maledicendo?

Notae.

1 Diog. Laertes II, 5, 75: *ἐφιλονείκει καὶ Σάγαρις Ὁμήρῳ ζῶντι, ἀποθανόντι δὲ Ξενοφάνης Κολοφώνιος κτλ.*

2 Diog. Laertes 8, 21: *φησὶ δὲ Ἱερώνυμος κατελθόντα αὐτὸν (Πυθαγόραν) εἰς Ἅιδου . . ἰδεῖν τὴν Ὁμήρου ψυχὴν κρεμαμένην ἐπὶ δένδρου καὶ ὄφεις περὶ αὐτὴν ἀνθ' ὧν εἶπε περὶ θεῶν.*

3 Diog. Laertes 9, 1: *(Ἡράκλειτος) τὸν δὲ Ὅμηρον ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι.*

4 Diog. Laertes 9, 18: *γέγραφε δὲ ὁ Ξενοφάνης καὶ ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα.*

3 Quattuor inveni in Schol. Venet. ad Iliadem compositis locos, ubi Homerum a Platone vituperatum esse commemoratur.

6 a) Ovid. rem. amor. 366

ingenium magni livor detrectat Homeri,
quiquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

b) Martial. epigg. lib. IV, ep. 77

Pendentem volo Zoilum videre.

c) Rud. Agricola: Aphthonii Progym. interpretatio anno 1684.

S. 138. Huius vel unius censuram longe pluris quam iniqua multorum Zoilorum iudicia facere debent omnes studiosi.

S. 911. Ceterum si quisquam Zoilus obiciat etc.

d) Apud Goethium nostrum Faust II, 1, 853 persona quaedaem Zoilo-Thersites nominata haec profert:

Doch wo was Rühmliches gelingt,
Es mich sogleich in Harnisch bringt.

7 Vitruvius de architectura praef. 7: Insequentibus annis a Macedonia Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromastix vocitaritur, Alexandream venit suaque scripta contra Iliadem et Odysseam comparata regi recitavit. Ptolemaeum vero cum animadvertisset poetarum parentem philologiaeque omnis ducem absentem vexari et cuius ab cunctis gentibus scripta suspicerentur, ab eo vituperari, indignans nullum ei dedit responsum. Zoilus autem cum diutius in regno fuisset inopia pressus summa, ivit ad regem postulans, ut aliquid sibi tribueretur; rex vero respondisse dicitur Homerum, qui ante annos mille decessisset aevo perpetuo multa milia hominum pascere, item debere, qui meliore ingenio se profiteretur, non modo unum, sed etiam plures alere posse, et ad summam mors eius ut parricidii damnati varie memoratur.

8 Dionys. Halic. de Isaeo pag. 627: *τῶν τοὺς ἀκριβεῖς προαιρουμένων λόγους καὶ πρὸς τὴν ἐναγώνιον ἀσκούντων ῥητορικὴν, ὧν ἐγένετο Ἀντιφῶν καὶ Ζωΐλος ὁ τὰς καθ᾽ Ὁμήρου συντάξεις καταλιπών,*

de Demosth. p. 974: *τούς τε χαρακτῆρας τῆς λέξεως, οὓς ἡγούμην εἶναι κρατίστους καὶ τοὺς δυναστεύσαντας, ἐν αὐτοῖς κατηριθμησάμην οὐχ ἅπαντας. Ἀντιφῶν γὰρ δὴ καὶ Θεόδωρος καὶ Πολυκράτης, Ἰσαῖός τε καὶ Ζωΐλος καὶ Ἀναξιμένης· καὶ οἱ κατὰ*

τοὺς αὐτοὺς γενόμενοι τούτους χρόνους οὐδὲν οὔτε καινὸν οὔτε περιττὸν ἐπετήδευσαν.

ad Pomp. p. 752: εἰ μέν ἐστί μοι κατὰ Πλάτωνος λόγος τις καταδρομὴν περιέχων τοῦ ἀνδρὸς ὥσπερ Ζωΐλῳ τῷ ῥήτορι κτλ.

p. 757: οἱ περὶ Κηφισόδωρόν τε καὶ Θεόπομπον καὶ Ζωΐλον καὶ Ἱπποδάμαντα καὶ Δημήτριον καὶ ἄλλοι συχνοί, οὐ διὰ φθόνον ἢ διὰ φιλαπεχθημοσύνην κωμῳδοῦντες, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν ἐξετάζοντες κτλ.

9 Strabo lib. VI, p. 271: Ἀλφειὸν δὲ Ζωΐλος ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ Τενεδίων ἐγκωμίῳ φησὶν ἐκ Τενέδου ῥεῖν ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον.

10 Plutarch συμπόσ. προβλήμ. V, 4: ἀλλὰ μειρακιώδη τὴν φιλοτιμίαν αὐτῶν ἀπέφαινον δεδιότων ὁμολογεῖν ἀκρατότερον εἰρῆσθαι τὸ ζωρότερον, ὡς ἐν ἀτόπῳ τινί τοῦ Ἀχιλλέως ἐσομένου· καθάπερ ὁ Ἀμφιπολίτης Ζωΐλος ὑπελάμβανεν ἀγνοῶν ὅτι κτλ.

Pseudo-Plut. Dem. 5: διὰ Καλλίου τοῦ Συρακοσίου πορισάμενος τοὺς Ζωΐλου τοῦ Ἀμφιπολίτου λόγους (Δημοσθένης).

11 Aelianus var. hist. IX, 10: Ζωΐλος ὁ Ἀμφιπολίτης ὁ καὶ εἰς Ὅμηρον γράψας καὶ ἐς Πλάτωνα καὶ ἐς ἄλλους, Πολυκράτους μὲν ἀκουστὴς ἐγένετο. οὗτος δὲ ὁ Πολυκράτης καὶ τὴν κατηγορίαν ἔγραψε τὴν κατὰ Σωκράτους· ἐκαλεῖτο δὲ ὁ Ζωΐλος οὗτος κύων ῥητορικός· ἦν δὲ τοιοῦτος· τὸ μὲν γένειον αὐτῷ καθεῖτο, κέκαρτο δὲ ἐν χρῷ τὴν κεφαλήν, καὶ θοἰμάτιον ὑπὲρ τὸ γόνυ ἦν. ἤρα δὲ ἀγορεύειν κακῶς καὶ ἀπεχθάνεσθαι πολλοῖς. σχολὴν εἶχε καὶ ψογερὸς ἦν ὁ κακοδαίμων. ἤρετο οὖν αὐτόν τις τῶν πεπαιδευμένων διὰ τί κακῶς λέγει πάντας· ὃς δέ, ποιῆσαι γὰρ κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι.

12 scholia ad Hipp. p. 334 (Beck): Ζωΐλος ἐν τῷ εἰς Πολύφημον ἐγκωμίῳ· οὕτω γὰρ ὡμογνώμησαν οἱ

θεοὶ περὶ τῆς τιμωρίας ταύτης, ὥστε πανταχόθεν Ὀδυσσεὺς τέως σωζόμενος καὶ τὰς ναῦς ἀκεραίους περιποιούμενος περιώφθη μετὰ τὴν ἀρὰν ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς.

13 Suidas. *Ζωΐλος Ἀμφιπολίτης. πόλις δ' ἐστὶ Μακεδονίας Ἀμφίπολις, ἥτις πρότερον ἐκαλεῖτο Ἐννέα ὁδοί. ὃς ἐπεκλήθη Ὁμηρομάστιξ, ὅτι ἐπέσκωπτεν Ὅμηρον. διὸ αὐτὸν διώξαντες οἱ ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ κατὰ τῶν Σκιρονίδων τῶν πετρῶν ἀνέρριψαν. ῥήτωρ δὲ ἦν καὶ φιλόσοφος. ἔγραψε μέντοι καὶ γραμματικὰ κατὰ τῆς Ὁμήρου λόγους ἐννέα. Ἱστορίαν ἀπὸ θεογονίας ἕως τῆς Φιλίππου τελευτῆς. βιβλία τρία περὶ Ἀμφιπόλεως καὶ κατὰ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος. [καὶ ἄλλα πολλά, ἐν οἷς καὶ ψόγος Ὁμήρου.]*

14 Suidas: *Ἀναξιμένης Λαμψακηνὸς ῥήτωρ. μαθητὴς Διογένους τοῦ Κυνὸς καὶ Ζωίλου τοῦ Ἀμφιπολίτου τοῦ γραμματικοῦ τοῦ κακίζοντος Ὅμηρον.*

15 Eustathius ad Iliad. *E* 5: *τὸν δὲ Ὁμηρομάστιγα Ἐφέσιον Ζωΐλον μεμφόμενον τῷ ποιητῇ τούτου τοῦ πυρός, ὃ κατέφλεξεν ἄν, ὡς αὐτὸς λέγει, τὸν ἥρωα, καταρραπιστέον, εἴ γε σπουδάζων τὴν φαντασίαν εἰς ἀλήθειαν ἕλκει.*

16 Quintilianus de inst. or. IX, 1, 14: verum id ipsum anguste Zoilus terminavit, qui id solum putaverit schema, quo aliud simulatur dici quam dicitur, quod sane vulgo quoque sic accipi scio, unde et figuratae controversiae quaedam, de quibus post paulo dicam, vocantur.

17 Spengelius in eo libro, qui incribitur *τεχνῶν συναγωγή* haec dicit: Zoilus rhetoris nomine laudatus diversus, ut videtur — nam eundem esse censent veteres Dionysius, Strabo, alii — ab illo, qui Homerum castigavit, artem, in qua schemata et elocutionis et sententiarum explicaverat, edidisse videtur.

Inde sumptus est locus, qui exstat in Phoebammonis scholiis ad Alexandri schemata pag. 588: ὁρίζεται δὲ Ζωΐλος οὕτως· σχῆμά ἐστιν ἕτερον μὲν προσποιεῖσθαι, ἕτερον δέ τι λέγων.

18 Amphipoli Zoilum esse natum dicunt: Heraclides sive Heraclitus, Claudius Aelianus, Plutarchus, Porphyrius, Suidas; Macedonem eum vocant Vitruvius, Plinius maior.

19 Antisthenis exemplum ut apte afferatur equidem vereor, cum quas Gorgias et Isocrates profitebantur artes tantopere inter se differrent, ut, cur Antisthenes ab illo ad hunc transierit posteaque illum impugnaverit possit intellegi.

VITA.

Natus sum Gotthold Spindler die II. m. Ianuarii anno h. s. LIII Lengefeldi in oppidulo Saxo-Borussiae, patre Christoph, matre Elisabet e gente Gebauer, quos adhuc vivos cum pietate colo. Litterarum elementis imbutus per sex annos frequentavi gymnasium Molhusanum. Maturitatis testimonio instructus autumno a. LXXIII, ut in philologica studia incumberem, Halas me contuli, ubi per quater sex menses scholis interfui virorum clarissimorum Keil, Zacher, Heym. Deinde Berolini sex menses versatus civibus universitatis Gryphiswaldensis adscriptus sum, ubi me docuerunt Susemihl, de Wilamowitz, Wilmans, Kiessling. Anni spatio intermisso Lipsiae litteris operam dare perrexi. Halis cum examen sustimissem aestate anni LXXIX, primo Perlebergi in urbe, deinde Brandenburgi munus docendi suscepi susceptoque hodie quoque fungor.